



# The Holy See

---

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **RABAULENSIS (KAVIENGENSIS)\*AB**

APOSTOLICO VICARIATU RABAULENSI QUAEDAM

TERRITORIA DETRAHUNTUR, QUIBUS NOVUS VICARIATUS

**APOSTOLICUS «KAVIENGENSIS» CONSTITUITUR.** Cum apostolicum vicariatum Rabaulensem, territorium per amplum multoque labore colentium, S. Congregationi Fidei Propagandae dividi opportunum visum sit, ex eoque novam circumscriptionem ecclesiasticam constitui ; Nos quibus christiana res benigna Dei voluntate est commissa, huiusmodi consilia omnino probantes, eaque apta censentes ad christianum nomen proferentium, post rem, qua opus esset, consideratione reputata la consensumque eorum suppletum qui aliquod ius in hac re habeant, de Nostra summa et apostolica auctoritate, haec, quae sequuntur, statuimus et iubemus. Ab apostolico vicariatu Rabaulensi eam partem separamus, qua insula Novae Hiberniae cum insulis vulgo Duke of York, insula New Hannover, insulae Admiralty cum ceteris quae adiacent, continentur ; ex eaque novum vicariatum condimus, cui nomen erit ab urbe principe *Kaviengensis*, in qua urbe Vicarius sedem collocabit ac domicilium habebit. Hanc novam Ecclesiam sollertiae concredimus Sodalium a Sacratissimo Corde Iesu, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum, factis iuribus et privilegiis quae solent vicariatibus eorumque Praesulibus fieri, impositis oneribus quae Vicariis iniunguntur. Eos autem quibus administrationem huius christiana familiae partis committimus, vehementer hortamur ut, laudibus laudes addentes, nihil omittant prudentiae atque industriae, regno Dei, subactis veritati animis, amplificando. Ceterum has Litteras Nostras exsequendas curabit venerabilis Frater Romulus Carboni, Archiepiscopus titulo Sidoniensis et in Australasia, Nova Zelandia atque Oceania Apostolicus Delegatus, cui omnes agendae rei potestates facimus, quas poterit, si visum fuerit, alii cuivis delegare, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Actae vero rei documenta exarabit, quorum sincerum exemplum ad S. Congregationem Fidei Propagandae cito mittet. Quod si tempore executionis alias eidem Apostolicae Delegationi praesit, hic mandata Nostra faciet. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat ; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint. *Datum Roma, apud S. Petrum, die quinto mensis Iulii, anno Domini millesimo nonagesimo quinquagesimo*

*septimo, Pontificatus Nostri undevicesimo.*

CELSUS Card. COSTANTINI  
*S. R. E. Cancellarius*

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI  
*Congr. de Propaganda Fide Praefectus*

Hamletus Tondini

*Apostolicam Cancellariam Regens*

Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Caesar Federici, *Proton. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. L (1958), n. 2, pp. 111-112

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana